



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 2. An passio, seu motus vehemens Concupiscentiæ tollit peccatum, vel
malitiam ejus minuit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

ac libertate personali requisita ad demeritum personale: non enim possumus illos non habere pro arbitrio voluntatis nostræ.

Not. Idem dici debet de omnibus pravis cogitationibus, & aliis motibus internis graviter ex objecto malis. Nam si actus illi sint penitus indeliberati, ac involuntarii etiam in causa, & à voluntate improbentur, nullatenus sunt peccata, quia nullatenus sunt voluntarii. Quòd si sint imperfectè deliberati, ac voluntarii, sunt peccata venialia ob imperfectionem actus: si verò plenè deliberati sint, & approbentur à voluntate, sunt peccata mortalia in materia gravi, quia sunt plenè voluntarii, & graviter mali.

Q. 2. *An passio, seu motus vehemens Concupiscentia tollit peccatum, vel malitiam ejus minuit?*

Resp. I. Est peccatum obsequi passioni, etiam antecedenti, hoc est, quam voluntas non excitat, seu imperat, quando non tollit usum rationis, nec omnem deliberationem. Constat. 1. ex Daniel. 13. *Concupiscentia subvertit cor.* & ad Rom. 7. *passiones peccatorum operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.* 2. Quia est quid inordinatum, & tunc est liberum, nam voluntas potest ei non obsequi.

Tom. I.

R

Tamen

Tamen passio illa antecedens minuit malitiam peccati. Ita *S. Thom.* 1. 2. q. 77. a. 6. quia minuit cognitionem, ac deliberationem, requisitam ad libertatem, ideoque libertatem. Nam facit, ut objectum delectabile appareat magis conveniens, & ut intellectus magis consideret rationem boni delectabilis, quam rationem illiciti, quæ voluntatem à consensu avertere posset.

Sed non ita malitiam minuit, ut ex mortali veniale faciat in motibus deliberatis, ut quando ex passione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad consensum deliberatum: quia tunc voluntas potest simpliciter non consentire, & non obsequi passioni, cum habeat sufficientem ad id deliberationem. Ita *S. Thom.* a. 8.

Si verò talis passio tollat totaliter usum rationis, vel advertentiam omnem impediatur, impedit peccatum: quia tunc id, quod ex illa fit, non est liberum, nec voluntarium in se, neque in sua causa. Si tamen motus illi fuerint voluntarii in causa, in qua prævideri potuerint, ut in ebrietate, tunc actus mali ex iis sequentes imputantur ad culpam; cum sint indirectè, & interpretativè voliti.

Resp. II. Passio consequens, seu liberè excitata, vel voluntaria in prava consuetudine non retractata non minuit, sed potius auget peccatum, quod ex illa fit: quia non minuit, sed auget voluntarium, & inten-

ensionem affectûs. Ita *S. Thom. a 6.* inde inferens: & sic verum est, quod quanto aliquis majori libidine, vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat.

Q. 3. Quid, & quale est peccatum infirmitatis, & malitia?

Resp. I. Peccatum ex infirmitate est illud, quod procedit ex passione antecedente, seu quæ non est voluntaria in se, nec in causa, puta in prava consuetudine efficaciter non retractata, nec tamen tollit libertatem. Peccatum ex malitia est illud, quod fit ex pura libertate: sive quod neque ex ignorantia indirectè tantùm volita, neque ex passione antecedente committitur, sed ex mera electione voluntatis: & sic nihil habet, quo minuatur ejus malitia. Unde peccatum procedens ex ignorantia affectata, vel ex passione liberè excitata, est etiam peccatum ex malitia, aut ei æquivalet; cum ejus prima radix sit sola prava voluntas, quæ passionem, vel ignorantiam procurat, nec minuit libertatem.

Resp. II. Peccatum ex infirmitate, seu passione ex suo genere gravius est, quàm peccatum ex ignorantia non affectata. Quia talis ignorantia minuit liberum, & voluntarium: at passio antecedens minuit quidem liberum, sed auget voluntarium, nam auget voluntatis intensionem, ac co-